



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla Vltima. Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba
complectens, contra legis nittitur voluntarem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

pis, aut impossibilis, aut contra jus, *cap. fin. de pactione, l. Pacta 6. C. eod. de pact.* aut ad delinquendum invitetur; qualis est, ne dolus praestetur, *l. Si unus 27 §. Illud D. de pact. ne ob res amotas agatur, l. Conventio 5. D. de pact. dotalib.* Quod si delictum sive dolus admittitur, nihil prohibet delictum vel dolum conventionem remitti, *d. l. Si unus §. pacta.* Ex hac Regula efficitur, quod et si depositarius ex natura contractus tantum teneatur de dolo &

lata culpa, quae dolus praesumptus dicitur, *l. 1. §. in conducto in fine §. ult. l. Quod Nerva 12. D. de positi,* recte tamen conveniatur & de omni culpa & de casu fortuito, si ita conventum sit *d. l. 1. §. si conveniat, d. l. Contractus 23. D. hoc nostro tit. cap. 2. Extr. de pos.* Quod & in ceteris contractibus evenit; si quidem contractus ex conventionem legem accipiunt, ex hac Regula nostra.

REGULA LXXXVI.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

Non minus eleganter Pomponius: Quod quis, inquit, ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire, *l. 20. D. hoc tit.* Videlicet juris interpretatione, quod jus huic damno non patrociniatur. Quod spectat illud Justiniani: Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri,

hoc est, sibi imputare debet, & si insit de sociis. Et quod Ulpianus respondit: Stare autem debet sententia arbitri, quam de re dixerit, sive aqua sive iniqua sit, & sibi imputet qui compromisit, *l. diem 27. §. stari D. de recept. arb.* Pete aliud exemplum ex *cap. Si Clericus 11. de praben. lib. 6.*

REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

Idem constitutum est ab Alexandro Imperatore his verbis: Neque famosis & notatis, & quos scelus aut vita turpitudine inquinat, & quos infamia ab honestorum coetu segregat, dignitatis portæ patebunt, textus est in *l. 2. Cod. de dignitat.* Est autem infamia, diminutio existimationis, quæ quandoque auctoritate juris fit, ut in exemplis, *l. 1. cum ille segg. D. de his qui not. infam. l. 7. de publ. jud. inf. can. infam. l. 1. quæst. 1. cap. Testimonium 54. Extr. de testibus.* quandoque bonorum & graviorum virorum ju-

dicio, Exempla sunt in *l. 2. D. de obseq. à liberis, l. Equæ, 13. l. Verbum 17. C. Ex quib. caus. infam.* Illam vulgò infamiam juris, hanc facti vocant: utraque hac Regula continetur. Quis, inquit Ecclesiasticus, *cap. 10. circa fin. honorificabit ex honorantem animam suam?* Quocirca infamia nedum à dignitate obtinenda, verum etiam ab obtenta remouet, *l. Infamia, 8. C. de decurio l. 11. C. de dignit.* Adde textum in *cap. Inter dilectos 11. de excessib. Pralator.*

REGULA VLTIMA.

Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Addendum hic est, ex constitutione Imp. Theodosii & Valentini, quæ hæc eadem Regula continetur: Nec pœnas legibus inferas evitabis, qui se contra juris sententiam sive prerogativa verborum fraudulenter excusat, in *l. Non dubium 5. C. de legib.* Ut hinc intelligimus, non minus eum pœnâ legis dignum esse, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit. Ratio ex eo pendet, quod respondit JG, *Scire leges, non est verba earum*

tenere, sed vim ac potestatem. *l. Scire 17. D. de legib.* Ita ut rectè post Accursium dixerit Bartol. *ad l. Contra 29. D. eod.* quod quis possit offendere verba legis, dummodo mentem legis non offendat; ubi scilicet, mens legis certa est, per *l. Adigere, 6. §. quamvis D. de jure patron.* at in obscuro magis adherendum est verbis legis, arg. *l. Non aliter Delegat. 3.*

Eccc 2 TRACTA-